

## ACTA ET DECRETA

### CONCILII PLENARII

Totius Americæ Septentrionalis Fœderatæ,

### BALTIMORI HABITI

ANNO 1852,

PRÆSIDENTE ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO  
ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSI,  
DELEGATO APOSTOLICO.

---

### BREVE APOSTOLICUM

QUO REVERENDISSIMUS D. ARCHIEPISCOPUS BALTIMORENSIS  
HUJUS CONCILII PLENARII PRÆSES CONSTITUITUR.

PIUS PP. IX.

Venerabili Fratri FRANCISCO PATRITIO KENRICK,  
Archiepiscopo Baltimorensi.

VENERABILIS Frater, salutem et Apostolicam  
benedictionem. In Apostolicæ Sedis fastigio,  
Deo sic volente, collocati, quæ ad rectam disciplinæ  
rationem in Ecclesia statuendam, tuendamque perti-  
neant, illa ex Apostolici nostri munericis officio pro-  
banda ac promovenda censemus. Quum igitur VV.  
FF. Antistites Fœderatorum Statuum Americae Sep-

---

ENTERED, according to the Act of Congress, in the year one thousand eight  
hundred and fifty-three, by JOHN MURPHY & Co., in the Clerk's Office  
of the District Court of Maryland.

---

TYPIS JOANNIS MURPHY ET SOCIORUM.

tentrionalis a nobis petierint, ut plenarium haberi possit Concilium ex omnibus regionis illius Episcopis, ea potissimum de causa, ut collatis consiliis proponantur quæ ad disciplinæ uniformitatem servandam opportuna esse possint, nos communibus eorumdem Antistitum votis adnuendum duximus, ac de consilio VV. FF. NN. S. E. R. Cardinalium propagandæ Fidei præpositorum, te in Delegatum Apostolicum eligendum existimavimus, ut Concilio eidem præsis, quippe quod de singulari tua in Ecclesiasticis disciplinis peritia, Catholicæ fidei zelo, et obsequio erga Apostolicam Sedem præclara habemus argumenta. Te igitur, quem ob eadem illustria merita ab Episcopali Sede Philadelphiensi ad Archiepiscopalem Ecclesiam Baltimorensem per similes nostras Apostolicas litteras hoc ipso die datas transtulimus, in Delegatum Apostolicum eligimus, constituimus et renuntiamus ad præsidendum memorato plenario Concilio cum omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis, juxta instructiones per Congregationem propagandæ Fidei tibi transmittendas, potissimum vero ut Acta ac Decreta ad Sedem Apostolicam mittenda cures, quatenus judicium de iis proferri valeat, ac si visum fuerit, comprobentur. Hoc decernimus et mandamus, non obstantibus Apostolicis, atque in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIX Augusti, MDCCCLI, Pontificatus nostri anno sexto.

A. CARD. LAMBRUSCHINI.

### LITTERÆ INDICTIONIS.

**F**RANCISCUS PATRITIUS KENRICK, Dei et S. Sedis Apostolicæ gratia, Archiepiscopus Baltimorensis, et Delegatus Apostolicus,

Reverendissimis Fratribus Archiepiscopis et Episcopis in Fœderatæ Americæ Septentrionalis Statibus ac Territoriis, ceterisque Ecclesiasticis viris qui de jure vel consuetudine Concilio plenario interesse debent, salutem in Domino.

Notum est apud omnes quam salutaria fuerint rei Catholicæ in hisce Provinciis Concilia Provincialia, quæ hucusque Baltimori celebrata fuerunt; quantum nimirum adjuverint ad confirmandam, ut par erat, reverentiam et obsequium erga Cathedram Petri; ad vincula charitatis inter nosmet ipsos arctius stringenda, discipline firmitatem ac uniformitatem stabiendam, tollendos abusus, moresque in melius reformandos. His rationibus permoti Patres Concilii Baltimorensis Provincialis VII, a S. Sede petierunt ut plenarium anno 1852 haberi posset Concilium ex omnibus regionis istius Episcopis, Summusque Pontifex communibus eorum votis benigne annuens, Nos, per Breve Epistolare die 19 Augusti 1851 datum, Delegatum Apostolicum constituit ad præsidendum memorato plenario Concilio.

Quum igitur, ex Apostolicæ Sedis mandato, nostri sit officii plenarium Concilium indicere et convocare; cupientes, quantum in nobis est, hac in parte munus nobis commissum, uti debemus, implere, nec non et perficere quæ a Patribus Concilii Provincialis VII ea de re statuta sunt; dictum plenarium Concilium in Civitate Baltimorensi, Ecclesiaque nostra

Metropolitana, ad Dei omnipotentis laudem et gloriam, celebrare decrevimus, illudque ad quartam post Pascha Dominicam proxime futuram, hoc est, ad diem nonam Maii 1852 indicimus, atque convecamus.

Quapropter omnes et singulos Reverendissimos in Christo fratres nostros Coepiscopos ex omnibus Fœderatæ Americæ Septentrionalis Statibus et Territoriis, ac alios quoscumque qui de jure vel consuetudine, plenario Concilio interesse debent, moneamus, hortamur, quo possumus charitatis affectu invitamus, atque etiam vigore facultatum nobis specialiter a S. Sede tributarum præcipimus, ut ad dictum plenarium Concilium ibi celebrandum, die assignata, per se vel per legitimum Procuratorem (si forte justum impedimentum obrepserit) conveniant, et compareant: ut, collatis consiliis, ea quæ ad religionis decus et incrementum, nostramque, ac ovium nostrarum salutem maxime spectant, assistente Spiritu sancto, decernamus et exequamur.

Reverendissimos Archiepiscopos et Episcopos rogamus, ut in suis diœcesibus eos omnes de hujus Concilii inductione moneant, qui ex jure vel consuetudine, vel privilegio, eidem interesse tenentur.

Datum Baltimori Anno 1851; mensis autem Novembris die 21.

**†FRANCISCUS PATRITIUS, Archiepiscopus Baltimorensis, Delegatus Apostolicus.**

De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi D. Archiepiscopi Baltimorensis,

THOMAS FOLEY, *Secret.*

### A C T A C O N C I L II.

**S**ABBATO, quod erat dies octavus Maii, anno salutis MDCCCLII, hora sexta P. M. convenere in ædibus Archiepiscopalibus, Illm̄i et Revm̄i Prælati, quos ad Concilium plenarium habendum Illm̄us et Revm̄us D. Baltimorensis, ex auctoritate et mandato S. Sedis, Baltimorum convocaverat.

Aderant autem Revm̄i et Illm̄i Archiepiscopi sex, nempe: I Baltimorensis; II Oregonensis; III S. Ludovici; IV Neo-Aurelianensis; V Neo-Eboracensis; VI Cinçinnatensis.

Revm̄i et Illm̄i Episcopi, eorum suffraganei, viginti tres: I Mobiliensis; II Dubuquensis; III Nashvillensis; IV Natchetensis; V Vehelingensis; VI Zelanus, Detroitensis Coadjutor et Administrator; VII Galvestoniensis; VIII Pittsburgensis; IX Petriculanus; X Albanensis; XI Carolopolitanus; XII Bostoniensis; XIII Clevelandiensis; XIV Buffalensis; XV Ludovicopolitanus; XVI Chicaginensis; XVII Nesqualensis; XVIII Hartfordensis; XIX Savannensis; XX Richmondensis; XXI Agathoniensis, Novi Mexici Vicarius Apostolicus; XXII Messeniensis, Territorii Indorum ad orientalem Montium Saxosorum plagam Vicarius Apostolicus; XXIII Philadelphiensis.

Adfuit insuper Revm̄us et Illm̄us D. Episcopus Montisregii in California, impræsentiarum S. Sedi immediate subjectus, quem huic Concilio interesse voluit Sanctissimus.

Adfuit etiam Revm̄us et Illm̄us D. Torontinus, Archiepiscopi Quebecensis suffraganeus.